444
444
E 2
E
2
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 2

KW 444 E 2. 55.

Q. B. V.
Princeps univerſi.

DISPUTATIO JURIDICA
DE
Vulgari Subſtitutione.

QUAM,

FAVENTE DEO OPT. MAX.

SUB PRÆSIDIO

Clariſſimi Acutiſſimique Viri,

D.D. ANTHONII MATTHÆI, J.U.D.
& ejuſdem facultatis in Illuſtri Academia
Lugd.-Batava Profeſſoris ordinarii.

Publico examini ſubjicit

ABRAHAMUS DE PAPE, Lugd.-Batav.

Ad diem 25 Novemb. horo locoque ſolitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDCLXXXIV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 2

Viris Illuſtribus,

D. FLORENTIO CAMPER, Med. Doct. parenti meo omni honore proſequendo.

D. THEODORO CAMPER, affini meo; aggerum Rhenolandiæ procuratori.

D. WILHELMO VERGENST, Mercatori vigilantiſſimo tutori meo omni laude decorando.

D. ISAACO BALDE, apud Amſtel. Mercatori ſplendiſſimo.

D. JOANNI FLAMMERDINGE, Med. Doct. nobili equiti omni laude decorando.

D. PETRO BALDE, apud Amſtel. Mercatori acutiſſimo omnibus meis cognatis omni amore proſequendis.

UT ET

D. ANTONIO MATTHÆO, J. U. D. ejuſdem facultatis in Academia Lugd. Batava Profeſſori ordinario, ſolidiſſimo, acutiſſimo, præceptori meo in perpetuum colendo.

D. JACOBO GRONOVIO, J. U. D. in eadem Academia tum linguæ Græcæ tum Hiſtoriarum Profeſſori ordinario, prudentiſſimo, meritiſſimo, facundiſſimo, meo Præceptori omni amore & benevolentia proſequendo.

D. WOLFERDO SENGUERDO, J. U. D. & Philoſophiæ in eadem Academia Profeſſori ordinario, meo etiam Præceptori, chariſſimo, doctiſſimo.

NEC NON

D. JOANNI MULLER, Jeſu Chriſti Paſtori fideliſſimo.

D. ANTONIO SCHULTINGIO, J. U. D. prudentiſſimo, acutiſſimo.

D. LATERMANNO, J. U. D. doctiſſimo, laudatiſſimo, omni laude digniſſimo.

D. PETRO SLINGELAND, pictori optimo, nitidiſſimo, Præceptori meo ſumma laude digniſſimo.

Quibus omnibus in æternum & reverentiæ σημεῖον hanc theſin, eo quo par eſt animo, dedicat & conſecrat.

Auctor & Reſpondens.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 2

Epiſtola Dedicatoria.

Nulla apud veteres navis portu egrediebatur, quæ numini cuidam non eſſet dedicata, ideoque in puppi vel Neptuni, vel alius cujuſdam numinis effigiem præ ſe ferebat, ut eo favente, nullos ſcopulos ſyrteſque extimeſceret, nullumque naufragii faciendi periculum ſubiret; ſed ſecundis ventorum flatibus delata, ad portum exoptatum veniret. Hoc ego modo (Viri nobillimi) qualecumque hoc ſit mei ingenioli ſignum veſtris nominibus, tanquam numinibus conſecrare fert animus, ut ſciolorum & inevitabiles malevolorum, & quaſi per Scyllam & Charybdim navigans, procellas evitarem, & præcipua veſtra erga me motus benevolentia, à qua patrocinium adverſus iſtos, qualecumque hoc ſit, licet mutuari. Carpant alii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 2

vel naſo Rhinocerotis adunco, vel dente Theonino rodant, non tamen iis moveor, mallem profecto ut vir quidam doctus ſatis eleganter dicit, cùm Gallis κὼ κὼ canere aut cum ranis βρεκεκὲξ coaxare, quam iſtis placere, & hæc cum ita ſint ut ſunt, tamen miſeri profecto ſunt, imo miſerrimos eos elegantiſſime Ovid. l. 2. Fab. 15. deſcribens, canit.

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto,
Nuſquam recta facies, livent rubigine dentes,
Pectera velle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno.

& in fine,

Carpitque & carpitur unà,
Suppliciumque ſuum eſt.

Et tamen ſic vivitur. Quicquid id ſit cumque elegantiſſime Plato dicit, βελτιόν ἐστι τὸ ἀδικεῖσθαι τοῦ ἀδικεῖν. accipere, quam facere, præſtat injuriam.

DISPU-

DISPUTATIO JURIDICA

DE

Vulgari Subſtitutione.

PROOEMIUM.

Cum diu variis, variiſque cogitationum quaſi fluctibus, & maritimo quodam fluxu & refluctu huc atque illuc agitatus eſſem, quam ex hoc vaſto juris Oceano materiam ſeligerem, tandem vulgaris ſubſtitutionis materiam, quamquam difficilem, pro viribus tractare propoſui, teſte Schneidewino in hujus tit. Rub. difficultate, inquit, ſubtilitate, utilitate commendatur. Latent in ea ſecundum Iaſonem in t. ff eod. ſubtilitates ſine numero. Zaſius in hujus materiæ tractatu ſpeciali, hanc materiam eſſe difficilem, & idcirco ſe nihil ad defatigationes ſtudioſorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 2

addere velle dicit, multa enim quæſtiones, tam ab hac quam ab illa parte agitata & ventilata ſunt; adeo ut tum veteres tum recentiores Iureconſulti, brevia veluti florum corpuſcula facere haud dubitarunt, extantque neotoricorum, ut politi & Zaſii aliorumque ſpecialia ſubſtitutionum volumina. Et profecto ut verum fatear non fruſtra, non enim hic agitur de lana caprina, aut de glande legenda; ſed de univerſa hereditate aut patrimonio, cumque hæc ſit tam intricata, ut ſatis ſuperque notum eſt, materia, neque imparem oneri injuncto nullus dubitem, & cum ſemper, quid valeant humeri quid ferre recuſent, videndum ſit; attamen quædam pro mei tenuitate ingenioli, de hac materia quam breviter, & quaſi primis delibare labris fert animus.

THESIS I.

Inſtitutio heredis eſt ſucceſſoris à teſtatore facta deſignatio. Vultej. 1. *Juriſpr.* 73. *n.* 52. ſine qua prorſus teſtamentum & nullum, & in eo ſcripta nullius ſunt momenti & ponderis *l.* 1. *§. final. ff. de vulg. & pup. ſubſt.* eaque dupliciter conſideratur: una in ſpecie ſic dicta, quæ fit primo gradu, altera ſecundo vel tertio, & communiter ſubſtitutio nuncupatur. Bartol. ad hujus tit. Rub. *l.* 1. 36. *l.* 43. *§.* 2. *ff. de vulg. & pup. ſub.* ſed Cic. & veteres Oratores ſecundos heredes eos nominarunt ita ſæpe in Cluent. *& l.* 1. 2. *de Orat.* Horat. *l.* 2. *ſer.* 4. *Suet.* aliique, quid enim ſit ſubſtituere ſatis ſuperque patet in *l.* 18. *l.* 69. *ff. de uſufruct. l.* 45. *§.* 13. *ff. de jure Fiſci. l.* 22. *ff. de legat.* 1. ſubſtitutus dicitur, qui ſubjungitur, & ſubtus hoc eſt in imacera ſcribitur.

II. No-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 2

I I.

Nomen igitur ſubſtitutionis uſurpatur, vel de ſubſtitutione directa, quæ verbis fit civilibus, & directis, tum heredem heredi, *l.* 1. *§.* 1. *l.* 36. *ff. de vulg. & pup. ſub.* tum legatarium legatario ſubſtituendo. *l.* 50. *ff. de legat.* 2. *l.* 6. *C. de legatis.* Verbum enim ſubſtitutionis, etſi impropriè ad legata accommodetur, proprie tamen ad ea non pertinet, vel de ſubſtitutione fideicommiſſaria, quæ verbis fit precariis. Sic in *l.* 16. *C. de Pactis.* cum in jure civili precaria ſolet dici, non proprie ſubſtitutio, ſed fideicommiſſum nuncupatur.

I I I.

Subſtitutio igitur potiſſimum conſideratur dupliciter, vulgaris & pupillaris, cumque jus civile non agnoſcit plures ſubſtitutionum ſpecies. *l.* 1. *§.* 1. *ff. de Vulg. & pup. ſub.* non reciprocam, quæ tantum eſt qualitas, nunc vulgari, nunc pupillari adjecta. *§.* 1. *Inſt. de Vulg. ſub.* Bartol. ad h. t. non etiam militarem, cum miles ultra annos pubertatis ſubſtituit. Myſing. *ad h. tit. num.* 5. *l.* 15. *ff. eod.* quod privilegium prorſus non facit novam ſpeciem, cum cæteræ tantum ſint modi & formulæ. Ant. Matthæ. *Diſp.* XI. *nu.* 15. *h. t.* Bacchov. *ad* Treutl. *Diſp.* XI. *Th.* IV. *l.* D. Zuarez. *ad* Gomer. *c.* 3.

I V.

Vulgaris igitur fit, quæ concipitur in caſum non aditæ hereditatis, inde vulgaris dicta, quaſi communis, quæ à quocumque poteſt fieri teſtatore, ut ſæpe apud Jureconſultos legere eſt, ſic vulgare pactum, *l. Bebius* 30. *ff. de Pactis Dot.* vulgarem formam & formulam. l. ſi ſervus navem 42. *ff. de Furtis.* vulgarem mulierem. l. ſi uxor 13. *§.* 2. *ff. ad leg. jul. de adul.*

V.

Originem vero & fontem ejuſque vim, ex ll. XII. Tab. traxit. *l.* 120. *ff. de verb. ſig. Pupillaris* vero ex moribus & ex jure non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 2

ſcripto. *Princ. Inſt. de pup. ſub.* quæ fit à parentibus liberis impuberibus *l. 2. ff. h. t.* (ſed quædam tantum de vulgari attingere propoſui) vel etiam quodammodo ex quadam teſtatorum providentia. Sæpe enim contingit, inſtitutum mori ante teſtatorem, imo etiam poſt, tamen ante aditam hereditatem, vel etiam interdum à primis heredibus hereditas repudiatur, proviſum enim tum eſt, ut in ipſorum locum alii ſubſtituantur.

V I.

Primo igitur videndum eſt, an in codicillis ſubſtitutio fieri poſſit, quod omnino negandum, neque inſtitutio neque ſubſtitutio in codicillis fieri poteſt. *§. penult. Inſt. de Codicill.* quod ſane benigne receptum videtur, ut ſubſtitutio directa in Codicillis facta, habeatur pro fideicommiſſaria, *l. 76. ff. ad JCtum Trebell.* Borchol. in fine *Princ. h. t.* Quidam tamen excipiuntur, ut parentes inter liberos teſtamentum condentes, milites, aliique iſtiuſmodi privilegio gaudentes. *l. hac conſultiſſima 21. §. 1. C. de Teſt.* quorum ſola voluntas in teſtando ſpectatur. *l. 1. ff. de Milit. Teſt.* fieri enim poteſt, tam liberis noſtris. *Princ. Inſt. de pup. ſub.* quam ſervis. *Princ. Inſt. de vulg. ſub. l. 41. de hered. Inſtit. l. 36. ff. de vulg. & pup. ſub.*

V I I.

Effectus ejus eſt, quod ceſſante primo gradu, ſit locus ſecundo, & per eum teſtamentum ſuſtineatur, ſed tum demum ille effectus procedit, ſi inſtitutus non potuerit, aut noluerit, aut repudiaverit, in quo caſu ſubſtitutus non prohibetur adire, ſed non in caſu, quando tantum deliberavit. Quod ratio ſana etiam id ſatis ſuperque dictitat, quia heres inſtitutus, non poteſt dici, non potuiſſe adire, quia fuit capax, & etiam noluiſſe, quia tantum deliberavit. Duar. *in Com. ad Tit. de vulg. & pup. ſub.* Vinn. *Comm. ad Inſt. eod.* Bacchov. *ad* Treutl. *Diſp. XI. Th. VII. l. g. l. 19. C. de jure delib. l. un. §. in noviſſimo C. de Cadue. Toll.* cujus legis verba ita ſeſe habent, Hereditatem etenim, niſi fuerit adita, tranſmitti veteres non concedebant, nec nos patimur. Exceptis videlicet liberorum perſonis, de quibus Theodoſiana lex ſuper hujuſmodi caſibus intro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 2

troducta, loquitur, iis nihilominus, quæ ſuper his, qui deliberantes ab hac luce migrant, à nobis conſtituta ſunt, in ſuo robore manſuris. Ex quibus verbis, ſatis clare apparet, quod hereditas non adita non tranſmittatur, exceptis liberorum perſonis, & etiam ſalva tranſmiſſione juris deliberandi. Igitur ſubſtitutus non admittitur, niſi cum inſtitutus, aut nolit, aut non poſſit. Quando vero ille qui deliberavit, moritur intra anni ſpatium, quod ad deliberandum conceſſum eſt. *d. l.* 19. *C. de jure delib.* non poteſt vere dici, non potuiſſe, vel etiam noluiſſe, quia non repudiavit, & proinde ſubſtituto locus eſſe non poteſt.

VIII.

Quæritur an primo heres inſtitutus, & ſi hereditatem adierit, poſtea in integrum reſtituatur, an tum ſubſtitutus poſſit admitti, quod aff. per *l.* 61. *ff. de Adq Her. d.* Myſing. *princ. Inſt. de vulg. ſub. n.* 10. *l.* 44. *ff. de Re Jud.* verba ejus legis ita ſe habent. Ex contractu paterno actum eſt cum pupilla, tutore auctore, & condemnata eſt (apertum eſt, quod hereditas ſit adita) poſtea tutores abſtinuerunt eam bonis paternis, & ita bona defuncti ad ſubſtitutum, vel coheredem pervenerunt. *l.* 24. *§.* 4. *ff. de Minor.* fateor equidem, quod ſubtili quidem jure maneat heres, attamen ſine effectu, & cum teſtatoris mens ſit habere heredem cum effectu, ſi aliquando heres eſſe noluerit aut non potuerit, ut tum ſubſtitutus admittatur. *d. l.* 44. *ff. de Re jud.* licet alii ut naſum cereum hanc opinionem flectentes, aliter ſentiant. Sed quod dico, confirmatur per *l.* 1. *§.* 10. *ff. ad SCtum* Tertull. ubi filio, qui ſecundum SCtum hereditatem adierat, per reſtitutionem rurſus abſtinentẽ, proximi ante excluſi veniunt. Et additur ratio optime caſui præſenti conveniens, nempe, nam & hic (filius ſcil. poſt abſtinẽs) non vult, & ſi aliquando voluit.

IX.

Quæſtio hinc ſane difficilis à D. Doctoribus mota, & tam ab hac quam ab illa parte agitata & ventilata eſt, nempe, an caſus noluntatis comprehendit caſum impotentiæ. Affirmantium ſententia mihi maxime arridet, & etiam multorum Jureconſultorum

cal-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 2

calculo ap probata. *l. 3. C. de Inſt. & ſubſt. l. 29. Gallus §. 5. ff. de lib. poſth. l. 22. ff. ad SCtum Trebell.* & profecto nixa veroſimili teſtatoris intentione, ne moriatur inteſtatus, ſubſtituit; licet in alterum caſum tantum, non tamen in alterius excluſionem, ne inteſtatus decedat. *d. l. 3. C. de Inſt. & ſub.* ubi vocati in caſum mortis, cenſentur etiam vocati in caſum emancipationis. Bartol. *ad l. 1. n. 14. ff. h. t.* Jaſon. *ibid. nu.* 13. quod etiam confirmatur per *l. ult. C. de Inſt. & ſub.* ubi ſubſtitutio facta, ſi poſthumus natus non fuerit, etiam ad eum caſum extenditur, quo natus fuerit, & impubes deceſſerit, matre in medio non exiſtente. *d. l. 3. C. de Inſt. & ſub.* ubi ſi filii à matre fuerant heredes inſtituti, ſub ea conditione, ſi fuerant à patre emancipati, locum habet illa inſtitutio in caſu longe diverſo, nempe ſi pater fuerit deportatus, & quoque videntur, hæc paria eſſe, nolle vel non poſſe, argumento *l. 1. §. 2. ff. de procur.* poſtremo ſi idem obtineat in caſu omiſſo, ut in expreſſo; certe idem jus in utroque eſt ſtatuendum, & etiam maxime teſtatoris intereſt, habere heredem cum effectu, quod præcipuus ipſius ſcopus & intentio eſt. §. 1. *Inſt. Q.* & ex Quibus cauſſis man. non licet, niſi teſtatoris voluntas repugnet tacite vel expreſſe. *l. 3. ff. de vulg. & pup. ſub.*

X.

Effectus eſt ut ante dictum, ut ſi inſtitutus non poſſit vel nolit, ut tum ſubſtitutus ſuccedat, & teſtatoris bona occupet, quo caſu quæritur, an filio repudiante, ad hereditatem pater admittendus ſit, nec ne, an vero ſubſtitutus. Reſp. ſubſtitutus. Zaſ. *in tract. ſub.* & ut vulgo dicitur, proviſio hominis tollit proviſionem legis, & ille debet potior eſſe, qui vocatur expreſſa teſtatoris voluntate *l. 19. ff. de cond. & demon.* cum inſtitutio præſumitur facta filii favore, ſed non patris, & ex eo præſumitur teſtator magis ſubſtitutum dilexiſſe quam patrem, ergo multo magis ſubſtitutus præfertur. Et profecto plane abſurdum eſſe, ut voluntas tacita & ficta præferatur veræ & expreſſæ. Et etiam nunquam admitteretur ſubſtitutus, quando heres repudians, aut patrem aut alios ab inteſtato venientes, heredes facere poſſit, & proinde merito ſubſtituto locus datur. *l. 3. C. de Impub. & aliis ſub. d. l. 19.*

ff. de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 2

ff. de cond. & dem. & etiam cum leges juſtis teſtantium diſpoſitionibus obediendum tam ſerio mandent. *l. ult. C. de Fideic.*

X I.

Expirat, ſi ſubſtitutus decedat ante inſtitutum, cum ad heredem nihil poteſt tranſmittere *l. un. §. 5. in Noviſſimo C. de Cad. toll.* quia jus quod nondum ſubſtitit in defuncto, non poteſt tranſmitti ad heredem ejus, quia nondum in ejus bonis fuit, vel etiam poſt aditam hereditatem, *l. 5. poſt. aditam C. de Impub. & aliis ſub.* vel etiam infirmato toto teſtamento. *l. 2. §. 1. ff. h. t.* vel ſi conditio, ſub qua inſtitutus, deficiat. *l. 8. Princ. ff. de vulgar. & pup. ſub.* aliiſque modis.

Hæc ſufficiant ad experiundas ingenioli mei vires, ſat cito, ſi ſat bene. Quæ Rudi Minerva conglomeraſſe hæc ingenie fateor, ſi placent, ave fave, ſin minus, etiam macte feliciterque progredere. Quicquid id ſit quæ nobis rationi congrua viſa ſunt, candide proponimus.

CO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 2

COROLLARIA.

I.

Philoſophia ad Iuriſprudentiam non pertinet.

II.

Subſtitutus cum inſtituto non admittitur.

III.

Vis poteſt eſſe ſine dolo.

IV.

Polygamia eſt prohibita.

V.

Matrimonium non eſt contractus.

VI.

Nuptiæ inter aſcendentes & deſcendentes non ſubſiſtunt.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 2